



**Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Penes quos sit potestas introducendi consuetudinem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

qua<sup>e</sup> est secundum legem; qua<sup>e</sup> nullum novum jus inducit, sed latam v. g. legem continuâ executione, observat, & tantum facti Consuetudo dici potest; in eam, qua<sup>e</sup> est præter legem, per quam novum jus inducitur; & in eam denique, qua<sup>e</sup> est contra legem, per quam jus antiquum abrogatur. Sicut autem lex alia civilis est, alia Canonica, ita, & Consuetudo Canonica alia est, alia civilis, qua<sup>e</sup> diversitas potissimum desumitur ex ratione materiae, ita, ut illa Canonica dicatur, qua<sup>e</sup> est circa materiam Ecclesiasticam, civilis vero, qua<sup>e</sup> est circa materiam temporalem, & merè politicam.

## §. II

*Penes quos sit potestas introducen-  
di Consuetudinem?*

**R**esp. Solùm communitas perfecta, qua<sup>e</sup> vel ipsa potestatem habet leges condendi, vel saltem hujus potestatis capax est, aut sufficiens, ut vera lex illi imponi possit, potest introducere jus Consuetudinis, saltem accidente tacito consensu Principis, vel legitimè legislatoris; *I. sed & ea 35. FF. de legibus;* neque enim forma induci potest, nisi in subjectum capax, iuris autem legalis sive legis sola perfecta communitas capax est (non quidem loquendo de specialissima Consuetudine, de qua nulla hic consideratio, cùn consuetudinis nomen vx. mereatur) ergo sola etiam capax est consuetudinis qua<sup>e</sup> vim legis haber, introducendæ. Ut autem introducatur jus Consuetudinis, debet Consuetudo illa, vel à toto populo, vel à majore ejus parte esse frequen- tata, & observata sicuti enim minor pars populi non potest condere legem,

omnes obligantem, nisi ex speciali com- missione, ita nec potest inducere consue- tudinem, qua<sup>e</sup> omnes obligent) & adesse tacitus saltem consensus Principis (in eo saltem casu, quo non tantum populustalis subiectus est Principi, sed ipsa etiam consuetudinis inducendæ materia) ac ipsæ inducentes consuetudinem habiles esse, ad consensum praestandum in legem aut Consuetudinem inducendam, quales non sunt amentes, infantes, minores 25. annis, mulieres &c.

## §. III.

*Qualis consensus Principis necessa-  
rius sit ad inducendam Consuetudinem.*

**A**d inducendam Consuetudinem re- qui consensum illius superioris, qui potest in tali materia legem condere, cer- tum mihi videtur, sicuti bene arguitur ex *c. ult. h. t. qualis autem consensus ille es- se debeat, dubitatur, cum duplex com- muniter consensus asseratur, Personalis alius, sive particularis, quo Princeps, vel expreßè in talem consuetudinem indu- cendam consentit; vel saltem tacite, sci- ens scilicet populum, animo introducen- di Consuetudinem, illa & illa agere, & cum possit, non contradicit. Alius verò sit consensus generalis, sive legalis, aut juridicus, quando scil. non immediate ipse Princeps personaliter consentit in Con- suetudinem, qua<sup>e</sup> à populo introducitur, sed jus tale scriptum novit esse, quo Con- suetudo populi, si certas conditiones ha- bet, approbat, quale jus haberetur tam in *c. fin. h. r. quam in I. ult. cod. que sit lon- ga Consuetudo;* His ergo suppositis*

*Resp. Ad §. hujus quæstionis, quamvis  
probata.*